

AD EXAMEN PUBLICUM  
GYMNASII REGII BREGENSIS  
DISCIPULORUM

FAUTORES ET AMICOS JUVENTUTIS

SUMMA QUAE CUIQUE DEBETUR OBSERVANTIA

INVITAT

FRIDERICUS SCHMIEDER,

PHIL. DR. GYMN. RECTOR ET PROF.




---

BREGAE, c1823.

Typis Caroli Theoph. Wohlfahrt.

BRIE (1823)  
1



Cum saepe per hos annos legeremus, quibus solennibus et qua laetitia publica Europae reges et imperatores post absentiam longam et continuam in sedes suas reversi exciperentur, iis fortasse viris, qui haec pagellas inspicere non recusant, eorum, quae olim fiebant, expositio non displicebit, cum imperatores romani sive urbes majores imperii adirent, sive Romam ex provinciis sine triumpho reverterentur.

Quaedam eorum, quae antiqui moris erant, ad nostra saecula transiisse videntur; non facile vero quisquam dubitabit, in re simili similia quidem olim et hodie fuisse instituta, sed ita, ut pro saeculorum hominumque ingenio moribusque diversis multa in singulis varietas reperiatur. Veterum honores, quibus principes ad Urbem reversos excipiebant, vel ejus erant generis, ut, quae prius in hominum privatorum aedibus ad laetitiam majorem significandam in usum venissent, publice et ab universa urbe fierent; vel ut, qui honores primitus diis exhibiti essent, deinde per adulationem ad principes transferrentur. Alios vero nonnunquam additos, alios omissos fuisse, prout ferrent tempora, per se intelligitur.

Imperator igitur cum, vel in provincia ad summos honores pro-  
vectus, vel post absentiam longam, in urbem reverteretur, is dies urbi  
et populo omni festus erat, a quo, quaecunque in laetitia festa adso-  
lebant, non aliena videbantur. Per eam occasionem poetae exerceban-  
tur, quamquam non plane eodem consilio, quo nostris temporibus.  
Hodie regi redeunti in singulis paene oppidulis a virginibus, quibus  
trepidantibus nec mens, nec color certa sede manet, carmina tradun-  
tur innumera, quae pleraque omnia cito facta cito pereunt. Qualem  
farra

farragineum colligendi laborem non habebant imperatores romani, quorum plerisque terror praeibat, amor populorum non comitabatur. Veterum poetae canebant ante reditum imperatoris, ut desiderii sui totiusque populi impatientiam proderent; *abesse* eos queruntur *jam nimium diu, maturum reditum pollicitos*; modo reditu jam certo et propinquo exsultant gaudio et dies festos indicunt, publica et privata laetitia prosequendos; modo post reditum gaudia canunt, quibus imperator exceptus fuerit. Extant etiam nunc ejus generis carmina in Horatii Carm. L. 4, 5. 3, 14. et minora plura in Martiale.

Ut imperatori virisque principibus advenientibus obviam egrederentur et effunderentur omnium ordinum cives et omnis aetatis conditionisque homines, hoc ita fert mortalium natura et ingenium, ut, si factum id non esset, merito miraremur. Exempla, si quaeris, plura videbis infra.

Urbis aditus, portae, viae vicique, potissimum ii, per quos imperator transiturus erat, quovis id modo fieri poterat, ornabantur, sicut hodie, cum reges in sedes suas redeunt, urbium portae, palatii fores, et in via ipsa arcus lignei arborum ramis, fronde viridi, floribus, et coronis laureis ornari solent. Erat hic mos antiquissimus, in privata laetitia aeque solennis atque in publica, in provinciis aeque ac Romae. Exemplo sit Julii Caesaris iter per Galliam togatam, de bello gall. l. VIII, 51. ubi Hirtius: „Exceptus est, inquit, Caesaris adventus ab omnibus municipiis et coloniis incredibili honore atque amore: tum primum enim veniebat ab illo universae Galliae bello. Nihil relinquebatur, quod *ad ornatum portarum, itinerum, locorum omnium, qua Caesar transiturus erat, excogitari posset. Cum liberis omnis multitudo obviam procedebat: hostiae omnibus locis immolabantur: tricliniis stratis foras templaque occupabantur, ut vel exspectatissimi triumphii laetitia praecipere posset.* Tanta erat magnificencia

centia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores., Tria hoc loco videmus commemorata: portarum et omnium locorum ornatum, de quo jam dicendum est; deinde hostias caesas, epulas instructas, de quibus suo loco.

Portae ornabantur fertis, coronis, frondibus, potissimum lauri ramis. Romanis enim *praecipue laurus laetitiae victoriarumque nuncia* erat, ut dixit Plin. H. N. 15, 30. De lauro victoriae signo, triumphantium ornamento, omnia sunt notissima; ejusdem usus etiam in privatorum laetitia, potissimum cum nuptiae celebrandae essent, antiquus erat et saepe commemoratur. Solebant enim ea occasione fores et aliae aedium partes frondibus et floribus exornari; quare Davus in Ter. Andr. 2, 2, 28. nuptias non posse veras esse docet, quia *in aedibus nihil ornati* viderit. Testis est de lauro Apulejus lib. IV. p. m. 357: „*domus tota lauris obsita, taedis lucida, confrepebat hymenaeum.*“ Juv. Sat. VI, 79. nuptias per ironiam suadens dixit: *ornentur postes et grandi janua lauro.* Alios ejusdem poetae et aliorum locos collegit Ruperti ad VI. 51. et XII, 84. Ejusmodi ornatum, ut Lipsius adnotavit, Seneca intellexit Epist. 67. §. 12: „*Quid? tu existimas, ea tantum optabilia esse, quae per voluptatem et otium veniunt? quae excipiuntur foribus ornatis?*“ Eodem et simili modo ornata erant *itineria* s. viae hinc atque hinc, *et loca omnia*, qua Caesar iturus erat, lauro, fertis et aliis rebus, quae ornamento esse poterant. Just. in Hist. 24, 3. Arsinoe, Ptolemaeum maritum in urbem suam invitatum praegressa, „*diem festum urbi in adventum ejus indicit: domos, templa, caeteraque omnia exornari jubet, aras ubique hostiasque disponi* etc. Vespasianus cum imperator factus ex Oriente ad Urbem accederet „*omnis Roma, templi instar, fertis atque odoribus plena erat,*“ Joseph. B. J. l. VII. c. 4, 1. Aliorum ornamentorum quaedam Eumenius nominat in gratiarum actione pro Flaviansibus ad

Con-

Constantinum c. 8., qui imperator, cum Augustodunum intraturus esset, Eumenius: Exornavimus, inquit, vias, quibus in palatium pervenitur, paupere quidem suppellectile, sed omnium signa collegiorum, omnium deorum nostrorum simulacra protulimus, paucissima clarorum instrumenta modulorum per compendia saepius tibi occurfura protulimus.“ Vossio non assentior, *itinerum ornatum* in Caesaris loco de florum sparsione per vias interpretanti; de qua re paullo post locus erit dicendi.

Per hanc vero occasionem aulaeae s. tapetes vestesve commemoro, quibus domorum parietes ad viam publicam ornabantur, quamquam priorem non habeo testem certum, quam Xiphilinum, e Dionis libro LXXIV in principio, cujus locum latine redditum adscripsi sicut et reliquos e graecis scriptoribus adlatos. Cum Severus primum ad urbem accessisset, „ad portas usque equo vectus est, veste equestri amictus; inde toga indutus pedibus introiit. Comitabatur eum omnis exercitus, pedites equitesque armati, eratque illud spectaculum omnium, quae vidi, magnificentissimum. *Urbs enim tota floribus et laureis coronis, ἰματίοις ποικίλοις, vestibus s. aulaeae varii coloris erat ornata, igni et suffitu splendebat; homines albi et laeti fausta multa acclamabant; milites armati, ut in pompae frequentia, cum magno decore incedebant et praeterea nos ibamus ornatu (senatorio.)* Etiam in panegyrico Theodosii c. 57 *plateae memorantur aulaeae undantes.* Utriusque loci etiam post haec mihi usus erit. Valerius vero Max. lib. IX, 1, 5 de tricliniorum ornatu et luxuria in conviviis est explicandus, si dixit: Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum, Metellus Pius, tunc cum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris ac ture excipi patiebatur? *cum attalicis aulaeae contactos parietes lacto animo intuebatur? cum immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? cum palmata veste convivia celebrabat etc.* Vid. Sallustii Fragm. lib. 2. ed. Cort. pag. 960.

Ad

Ad portas accedentem vel janjam ingredientem imperatorem salutabant senatores, equites, sacerdotes, festo ornatu conspicui, populus laureatus, albus, et fausta omnia acclamabant. Octaviano Romam revertenti „obviam itum est quam longissime a coronatis tam senatoribus quam cetero populo: qui eum ad templa primum, deinde domum deducerent.“ Appian. de b. civ. 5, 130. Coronati erant lauro, ad laetitiam declarandam. Erat etiam moris, manu lauri ramos gestare et principi redeunti praeferre; de qua re vid. Boden de ramo gentium religioso. Praeter historicos etiam nummi sunt testes, de quibus ad finem. Neroni obviam tribus, festo cultu Senatus, conjugum ac liberorum agmina, per sexum et aetatem disposita; exstructi, qua incederet, spectaculorum gradus, quomodo triumphum visuntur. Tac. Ann. 14, 13. Vespasiano adventanti ad Alexandriam, τὰ ἱερά, sacra pompa ante portas obviam processit, et magistratus aegyptii, et praefecturae s. praesides praefectarum, in quas Aegyptus dividebatur, pariterque philosophi atque sapientes omnes. Philostrat. V. Ap. c. 27. Cum Domitianus e bello Sarmatico rediret, hic (in principio viae latae, ni fallor, haud procul porta Flaminia) lauro redimita comas et candida cultu Roma salutavit voce manuque (plaudente) ducem. Martial. lib. 3, 65. De Trajani ingressu Plin. in Paneg. c. 23: Gratum erat cunctis, inquit, quod senatum osculo exciperes — quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares; gratum, quod tantum non ultro clientibus salutatis quosdam familiaritatis notas adderes. Gracius tamen, quod sensim et placide, et quantum respectantium turba pateretur, incederes; quod occurstantium populus te quoque, te immo maxime, adstaret; quod primo statim die latus tuum crederes omnibus. Neque enim stipatus setellitum manu, sed circumfusis undique nunc senatus, nunc equestris ordinis flore, prout alterutrum frequentiae genus invaluisset, silentes quietosque

lictos

*lictores tuos subsequere*; nam milites nihil a plebe habitu, tranquillitate, modestia differebant. — Severum, cum exercitu Romam intrantem, populus et Senatus laureati excipiebant, faustis acclamationibus, — senatus ad portas urbis salutabat. Herodian. 2, 14. — Latinus Pacatus Drepanius in panegyrico c. 37 de Theodosii adventu Romae: „Quid ego referam pro moenibus fais festum liberae nobilitatis occursum, conspicuos veste nivea senatores, reverendos municipali purpura flamines, insignes apicibus sacerdotes? quid portas virentibus fertis coronatas? quid aulaeis undantes plateas? accensisque funalibus auctum diem? quid effusam in publicum turbam domorum?“ Sed plura cumulare non opus est. Acclamationes, quarum etiam hodie usus frequentissimus, erant salutationes, omina fausta, vota, laudes paucis verbis dictae; ex c. Feliciter — Augusto, feliciter — virtutibus tuis — Auguste tibi gratias — felix, salvus imperes — Ave imperator. Neroni e Graecia reverso acclamabant: Ova victor Olympice, ova victor Pythice, Auguste — Neroni Herculi — Neroni Apollini, et alia, Dione teste. Clamabant: Antonine Pie, Anton. Clemens, dii te servant — praesentiam tuam rogamus — progeniem tuam roboram — fac securi sint liberi nostri — bonum imperium nulla vis laedit — Jupiter optime maxime, Macrino et Antonino vitam — Antoninum habemus, omnia habemus — Antoninus dignus imperio — quae et alia plura vide ap. Jul. Capitol. in Anton. Pio c. 3. ap. Vulc. Gall. in Avid. Cass. c. 15. ap. Lamprid. in Anton. Diad. c. 1. in Sev. c. 7. et 57. et efer, quos Irrisch laudavit ad Herodian T. 1. p. 261.

Interdum etiam imperatores carminibus modulatis et organorum musicorum concentu excipiebant et prosequabantur. Augustum „reverentem ex provincia non solum faustis omnibus sed et *modulatis carminibus prosequabantur*. Observatum etiam est, ne, quoties introiret Urbem,

bem, supplicium de quoquam sumeretur.“ Suet. Octav. 57. Caracalla cum Alexandriam intraret, „ad eum excipiendum apparatus factus erat, qualis nulli unquam imperatorum; *omne genus musica instrumenta ubique disposita varium sonum edebant*, et aromatum variorum ac suffimentorum vapores suavem odorem praestabant in portis; taedarum quoque gestationibus et florum sparsionibus honorabant imperatorem.“ Herodian. 4, 8. § 19. Adde locum supra ex Eumenio adlatum.

Coronas offerebant venienti, flores spargebant in ipsum et in viam; odores incendebant ad vias; ad aras hinc et hinc positas caedebant victimas; epulas instituebant publicas; de quibus rebus deinceps mihi dicendum est. Coronarum et florum sparsio, ut cum gaudio aliquem exciperent, ut favorem et benevolentiam testificarentur, solennis erat apud omnes fere gentes et antiquissima. Cum Alexander Magnus Babylonem ingressurus esset, Babyloniorum „plures obviam egressi erant; inter quos Bagophanes, arcis et regiae pecuniae custos, — *totum iter floribus coronisque constraverat*, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quae non thure modo sed omnibus odoribus cumulaverat. Eum dona sequebantur — magi deinde suo more carmen canentes. Post hos Chaldaei, Babyloniorum non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes ii regum canere soliti.“ etc. Curtius 5, 1, 20 seq. ad quem locum vide Freinshemium, de Persarum more, vias, quibus rex incederet, atque in publica laetitia, odoribus et floribus sternendi, et de eodem apud alias gentes more multos locos adferentem. In Graecia athletas victores, olympionicas, summos etiam viros post victoriam in bello partam florum jactu cultos esse et exceptos, neminem fugit. In Tit. Quintium, cum liberam Graeciam pronuntiare iussisset, tot coronas conjiciebant et lemniscos, ut parum abesset, quin homini spiritum eliderent. Polyb. XVIII, 29. §. 11. Liv. 33, 52. Pompejus cum ex morbo reffectus

Neapoli Romam abiret, „obviam undique procedentes, nullus capiebat locus, sed viae, vici, portus epulantibus et sacra facientibus erant referti; multi etiam coronati cum facibus eum excipiebant atque *in deducendo floribus conspergebant*; ut illa deductio et illud iter pulcherrimum splendidissimumque esset. Plut. in Pomp. c. 57. Quid mirum, si eodem more imperatores exciperentur? Cremonenses, cum Vitellius accederet, *viam lauro rosisque constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis, regium in morem h. e. ut in regum et principum adventu fieri solebat.* Tacit. Hist. II, 70. ubi vid. Lips. — Commodus cum imperio potitus ex Pannonia reversus Romam intraret quasi triumphans, totus senatus et universus populus, quotquot Romam incolebant homines, laurigeri (*δαφνηφόροι, δαφνηφόρονες*, lauri ramos manu gestantes) et *omnia secum ferentes florum genera tum vigentia*, ut quisque poterat, procul ab urbe occurrebant, eumque conspicati faustis acclamationibus omnigenis et coronarum florumque (quos in ipsum et in vias conjicerent,) *sparsionibus* excipiebant. Herodian. I, 7, §. 4 et 11. Plures adferre testes non opus est. Videantur, quos ad Suet. Ner. c. 25 Casaubonus, ad Herodiani hunc locum Paul Voet laudavit, et praecipue, quae Irmsch T. I. pag. 261 collegit, cui assentior, causam ejus sparsionis solennis fuisse „non tam in odore faciendo et re suavi objiciendā, quam quia in floribus sit aliquid laeti ac boni; ut adeo floribus ferendis spargendisque non modo significetur animi quaedam laetitia ob alicujus praesentiam et felicem adventum, sed et illud, ut laeta omnia, bona ac fausta in aliquem velut conjiciantur eique tribuantur; in quo tribuendorum bonorum studio insit benevolentia, ut honor in eo, quod id fiat ex opinione ac cogitatione dignitatis, praestantiae ac virtutis alienae.“

De odoribus, thure, aromatis, suffimentis, per aras ad viam dispositas accensis supra adscripti loci ex Dione, Herodiano, Valerio et Curtio loquun-

loquuntur; et numerus testium facile potest augeri. Erat is<sup>1</sup> mos in Oriente antiquus; cf. Briffon. de Regno Persico. Caracalla, cum Artabano, Parthorum regi, turpissime mentitus, persuasisset, ut filiam ille daturus esset uxorem, et jam per Parthorum regionem tamquam suam cum exercitu iret, ubique ab incolis victimae adducebantur, altaria coronabantur, *aromata et suffimenta omne genus offerebantur*. Herod. 4, 11. Per adulationem ad homines translatus est hic honos, qui primitus diis exhibebatur, et cum in altaribus ad templa positus tus et odores accenderentur, et cum deorum imagines transferrentur. De qua re posteriore Casaub. ad Suet. Calig. c. 13 Ciceronis testimonio utitur in Verr. lib. IV. c. 55: „omnes Segestanas matronas et virgines convenisse, quum Diana exportaretur ex oppido, unxisse unguentis, complexis coronis et floribus, *thure odoribusque incensis usque ad agri fines profecutas esse*.“ Quamquam hunc locum non de altaribus ad viam structis, sed de turibus interpretari malim, quae virgines et matronae manu movisse videntur. Romanis praeiverant Graeci; inter quos Athenienses adulationibus foedis erga potentes nulli populo concessisse Casaubonus docuit ad Athen. lib. VI. c. 15: „Demetrium excipiebant Athenienses non solum *suffitibus, coronis, vini libationibus*, sed etiam profodiis, choris — — accinentes: illum solum verum deum esse; reliquos aut esse nullos, aut dormire, aut abiisse peregre.“ — Augusto „Puteolanum sinum praetervehenti rectores nautaeque de navi Alexandrina, quae tantum quod appulerat, candidati coronatique *et thura libantes* [sc. ut deo] fausta omnia et eximias laudes congesserant.“ — Suet. Aug. c. 98. Idem fiebat per occasionem ovationum et triumphorum. Cum Domitianus ex bello Sarmatico ovans Urbem intraret atque in omni ad Jovis Reducis templum ara propter Caesaris reditum felicem sacra fierent: *Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus*. Mart. lib. VIII, 15. v. 3. Mamertinus in panegyrico,

gyrico, quem Maximiano dixit, c. 6: „totam hanc urbem, inquit, repentina tua in hostes eruptione sollicitam, laetitia et exultatione et *aris flagrantibus et sacrificiis et odoribus accensis numini tuo implesti.*“ Idem c. 1. claris dixit verbis: debere honorem imperatorum divinis rebus aequari. — Etiam nostra tempora viderunt, quid foedi possint adultores.

Hostias ad viam, qua imperatores transibant, positas immolabant, prius fortasse, ut vota pro ducis reditu suscepta solverent, ut diis gratias agerent et preces funderent pro imperatoris salute; deinde vero per adulationem principibus ipsis tanquam diis sacrorum honorem tribuebant. Locis supra laudatis paucos lubet adjicere. Graecos priores id fecisse, testis est Plutarch. in Dione c. 29. Dion enim cum Syracusas ingressus esset, ut Syracusanos a tyranno liberaret, hi utrimque secus viam ejus hostias, mensas, crateras posuerant et votis eum, ut deum, prosequerentur. — Romani Graecos imitabantur. Cum Octavianus et Antonius pace inter se facta urbeque et universa Italia laetante Romam proficiscerentur, transeuntibus imperatoribus sacra vulgo faciebant, velut servatoribus. Appian. de bell. Civ. lib. V, 74. Caligula imperium adeptus cum a Miseno movisset „quamvis lugentis habitu et funus Tiberii prosequens, tamen *inter altaria et victimas* ardentisque tedas, densissimo et laetissimo obviorum agmine incessit, super fausta omina [acclamationes intellige] *fidus et pullum et pupum et alumnus* appellantium. Suet. Calig. 13. Neroni, cum rediisset e Graecia, per urbem „incedenti passim victimae caesae.“ Suet. Nero c. 25. Galba imperator factus cum ex Hispania Romam tenderet, „per omne iter dextra sinistraque oppidatim victimae“ caedebantur. Suet. Galb. 18. Plena altaribus, angusta victimis cuncta fuisse Romae in reditu Trajani, auctor est Plin. in Paneg. 23, 5. Post sacra privata cum epulae sequerentur, nemo mirabitur, in tanta propter adventum principis laetitia publica

et

et tantò victimarum numero caeso, etiamfi non triumphatum esset, epulas publicas instructas et paratas, mensasque per templa, fora, vias firatas et crateribus vinoque oneratas esse, atque in ea re conspicuam fuisse et magnificentiam apud opulentiores, et cupiditatem apud humiliores. Caes. l. l. — Cum Vespasianus ex oriente reversus vix per circumstantium turbam in palatium venisset „multitudo ad epulas vertebatur, perque tribus et cognationes et vicinias convivium agitantibus, cum libationibus deum precabantur, ut et ipse Vesp. in longissimum tempus maneret imperator, et filiis ejus eorumque posteris imperium conservaretur nullis viribus expugnabile.“ Jos. l. l.

Casaubon. ad Suet. Calig. 13 Athenienses laudat, quod victimas quidem praeparassent, sed quibus Attalus, cum Romanorum legatis Athenas ingressus, diis sacrificaret, non ipsi Athenienses regi ut deo. Locus est in Polyb. lib. XVI, 25. §. 5. „non magistratus et equitum modo ordo sed et cives omnes cum liberis et conjugibus obviam ei prodierunt. §. 7. Ubi vero Dipylon [portam] Attalus est ingressus, ad dextram sinistramque utriusque sexus sacerdotes collocaverant, omnia dein templa aperuerant, ad omnia altaria victimas posuerant, eumque sacra facere rogabant.“ Honore quidem sic regem ornabant, sed alio, quam de quo supra dixi. Veteres videntur, cum reges ad urbes adirent, eos invitasse, ut diis in urbe praecipue cultis sacra facerent tamquam sibi patriis et urbe sibi subjectâ, quamvis illi reges brevi abirent: Apud Romanos sane is mos erat, ut imperatores, cum vel primum vel post longam absentiam, urbem adirent, post salutationem ad portas in Capitolium ascenderent, deinde alia templa adirent, et sacra facerent, quae Herodianus τὰς βασιλείους θυσίας ἢ τὰς ὑπὲρ τῆς βασιλείας θ. appellat, h. e. sacra ad imperium feliciter auspiciandum, administrandum. Fiebant etiam gratiarum agendarum causa. Vid. Irmisch ad H. Tom I,

p. 141. Commodus ut Romam ingressus est, Jovis templo ac ceteris fanis salutatis (ad quae sine dubio victimas inveniebat paratas) Senatui gratias agebat etc. Severus in Jovis Capitolini templo sacrificio peracto, in ceteris item sacris aedibus facta litatione more imperatoris, in domum imperatoriam recessit. Caracalla postquam Alexandriam intraverat cum exercitu, primo templum ingressus multas victimas mactavit ac thure aras cumulavit. — Athenienses morem in Asia solennem imitati esse videntur, cum regem asiaticum moenibus suis exciperent.

Sed redeo ad imperatores romanos. Solent hoc saeculo eo die, quo reges in urbem primariam redierunt, sub noctem vici eorumque majora potissimum aedificia et publica et privata maximo saepe sumtu et arte eximia ita collustrari, ut victis tenebris viae splendeant oculisque pulcherrimum objiciatur spectaculum. Simile quid fiebat apud Romanos, ita vero, ut ignes festi non sub noctem sed ipso die accenderentur. Scripserunt de ea re Lipsius Electorum libro I. c. 3. idem ad Taciti Ann. III, 9. Heraldus ad Martial. X, 6. (e quibus haufit J. Saubertus de sacrificiis c. 16.) et Casaub. ad Suet. Calig. 13. ad quos, nisi diversa et aliena vidissem admiscentes, remittere satis fuisset.

Luminum lucernarumque per noctem usum in re laeta nemo miratur. Si coena per noctem continuabatur, *dependent lychni laquearibus aureis incensi, et noctem flammis funalia vincunt.* Virg. Aen. I, 726. Jul. Caesar cum dies ad pompam triumphalem non sufficeret, „adscendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.“ Suet. Caes. c. 37. Ludi et spectacula in noctem protracta ad lumina facesque peragebantur; erant etiam quae dedita opera ad lychnuchos ederentur. Antiquus erat usus funalium cereorumque in sacris celebrandis, in lustrationibus, in nuptiis et funeribus,

(viximus

(*viximus insignes inter utramque facem* dixit Propertius) et lucernae in specubus subterraneis monumentisque, ubi cineres mortuorum conditi erant, accendi solebant; de quibus rebus plures scripserunt. Sed alia res erat, si medio die lucernae accensae domi in foribus fenestrisque dispositae lucebant atque urbs omnis, ut laetitia significaretur, ipso die luminibus collustrabatur.

Trajanus cum nuntium de Nervae morte accepisset atque anno proximo ex Germania cisrhenana Romam profectus esse diceretur, Martialis lib. X. epigr. 6. felices praedicat, qui eum imperatorem visuri sint, et desiderio ejus flagrans exclamat:

v. 3. Quando erit ille dies, quo campus et arbor et omnis  
 lucebit latiâ culta fenestra nuru?  
 quando morae dulces longusque a Caesare pulvis  
 totaque Flaminiâ Roma videnda via?  
 quando eques et picti tunica Nilotide Mauri  
 ibitis? et populi vex erit una: venit.

Pro simplici: quando redibit? ex parte commemorantur ea, quae cum imperator peregre rediret et solenniter exciperetur, fieri solebant. Quando *lucebit campus omnis?* intelligo sive Campum Martium, qui absolute *campus* vocari solet, etiam in Mart. V, 20. sive, quod h. l. praefendum videtur, quaevis loca plana et patentia in urbe atque ad portam, quae poeta lucentia videre cupit. Hoc loco neque quisquam eum ignem indicari opinabitur, qui imperatoribus, potissimum a temporibus Antoninorum, quavis occasione, cum in publicum prodirent, praeferrî solebat atque ad insignia principatus numerabatur; neque Trajanus, cum intraret, triumphum ducebat, in quo erant, qui imperatores cum cereis, facibus et lampadibus praecederent (Treb. Poll. in Gallienis c. 8.); deorum cultus etiam imperatoribus tributus esse videtur;

nam

nam *Deo accendebant lumina velut in tenebris agenti*. Lactant. lib. 6, 2. Sed<sup>o</sup> quamvis incerta mihi nec satis perspecta sit causa et origo, certissimus tamen est mos, ut adventanti principi homines cum facibus et funalibus occurrerent et medio die luminibus omnia implerent. Etiam Servius ad lib. V. Aeneidos, quem Casaubonus laudat, dixit: „in honorem regum cum facibus procedebatur a populo.“ Exempla commemorantur multa. Pompejum ex valitudine adversa relictum *multos etiam coronatos cum facibus excepisse*, Caligulam imperio potitum *inter ardentes tedar obviatorum* ad Urbem accessisse, supra vidimus. Nero cum Teridaten Romam adduceret, omnis urbs *et luminibus et fertis ornata erat*. Dio, exc. Xiphil. lib. 65. p. m. 717; et p. 723: Nero e Graecia reversus curru triumphali intrabat, tota Urbe coronis ornata, *luminibus et suffimentis ardentibus splendente*. — Severus cum veniret, urbs tota *igni et suffitibus lucebat*; ibid. p. 859. — Caracallam intrantem Alexandrini *taedarum* quoque *gestatione* honorabant. Herodi. 4, 8. Julianum suburbanis Syrmii propinquantem „militaris et omnis generis turba *cum lumine multo* et floribus votisque faustis Augustum adpellans et dominum duxit in regiam.“ Amm. Marc. XXI. c. 10, 1. Theodosio Magno veniente a Romanis *accensis funalibus auctum esse diem*, supra legimus ex Pacato. Constans igitur fuit is mos per secula, eumque etiam Christianorum aevo non prorsus fugisse docet Lipsius: „et lego, inquit, in vita vetere Fulgentii Episcopi, Afri, [qui seculo sexto vixit,] populum per omnes prolixi itineris vias in occursum ejus“ ab exilio redeuntis „tetendisse *cum lucernis et lampadibus* et arborum frondibus.“ Ejus rei, ut cum turibulis, cereis, lampadibus episcopis obviam irent, exempla plura collegit Casaubonus ad Suet. Cal. 15.

Quando lucebit *arbor omnis* ad viam et ante fores templorum domorumque? Ex arboribus enim vitta ornatis (lanarum velleribus circum-

cum-

cumvolvebant stipitem) lucernae suspendebantur. Testis ejus rei datur etiam Prudentius in Symmachum lib. II. v. 1003 seq. In Christianorum agris, inquit,

— — nullis violatur Terminus extis,  
 Et quae fumificas arbor vittata lucernas  
 servabat (al. sustinuit) cadit ultrici succisa bipenni.

Et quando lucebit *omnis fenestra* scil. lucernis vel dispositis vel catenula suspensis sicut in arbore? Is mos, quem vix verbo tetigit H. C. L. Stockhausen in libro *de cultu ac usu luminum antiquo*, Traj. ad Rh. 1726, (Fortunius Licetus de lucernis antiquorum ad manus non erat;) recentior Romae, sicut alii ex oriente, e Palaestina allatus esse videtur.\*) Mentionem ejus fecit Persius V, 180: *At cum Herodis venere dies, unctaque fenestra dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae, portantes violas*; ubi scholiastes docet, Herodianos diem Herodis natalem observasse, ut etiam sabbata, eoque die lucernas accensas et violis coronatas in fenestris posuisse. Idem prodere videtur Seneca Epist. 95. § 47: *accendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine dii egent et ne homines quidem delectantur fuligine?* Quem morem in laetitia privata increbuisse testes sunt plures. Juvenalis Sat. XII. ob amici ex periculosa navigatione servati reditum laetus properat vota solvere et in templis et domi suae, quae, ut par erat in tanta laetitia, ornata est. *Cuncta nitent, longos erexit janua ramos sc. laureos, et matutinis operatur festa lucernis.* Namque ipsa janua festa s. ornata matutinis lucernis, vel mane ipso accensis, dicitur operari diis, ῥέζειν, sacra facere. Tribuitur enim

C

enim

\*) Diversa est Aegyptiorum *λυχνοναΐα* s. *λυχνοναυτία*, quod festum celebrantes lucernas quidem sub dio accendebant sed nocte, non medio die.

enim januae, quod erat de domino dicendum. Quare hoc Juvenalis loco nolim cum Lipsio scribere *operitur*, praesertim cum *operta est* legendum esset, si id per metrum liceret. Januam *laureatam ac lucernatam* commemorat Tertull. ad Uxor. II, 6. *Domum festam ornatu* in Tac. Ann. 3, 9. recte Lipsius de lauro et lucernis interpretatur, ob laetiam, quod dominus redierat. Ad eundem morem respexit Seneca in Thyeste v. 54: „*ornetur altum culmen et lauro fores laetae virescant; dignus adventu tuo splendescat ignis.*“ Arrian. in Epict. Dissert. I, 19. § 24: „contigit alicui tribunatus? omnes obvii ei gratulantur; alius oculos ejus deosculatur, alius collum, servi manus; domum venit, *λόχους, lucernas ardentes* invenit; adscendit in Capitolium etc. Idem lib. II, 17. § 37: „in quantum te discrimen conjicis? Fili, si incolumis evaseris, *lucernas accendam.* — Magnum tibi bonum erit, si salvus redibis. *Tali lucernam accendere operae pretium est.*“ Accendisse eas in januis et fenestris videntur, ut sacrum sibi eum diem et laetum esse profiterentur; qui mos ad religiosam deorum venerationem pertinebat. „Ergo, inquis, honor dei est, *lucernae pro foribus et laurus in postibus*“? Tertull. de idololatria c. 15. et paullo ante: „*luceant opera vestra, at ne luceant tabernac et januae [nostrae.]* Plures jam invenies ethnicorum fores sine lucernis et laureis quam Christianorum.“ Idem in Apol. c. 46: „quis enim philosophum sacrificare aut dejerare aut *lucernas meridie vanas proferre* compellit?“ Greg. Nazianz. Orat. 2. in Julianum: Nec floribus, inquit, plateas coronemus, nec visibili lumine splendescant domus: hic enim gentilitiae festorum celebrationis mos est. — Non est, quod eum morem festis privatorum diebus receptum etiam publicis observatum miremur. Clare Tertullianus, a Lipsio et Heraldo laudatus, in Apologetico c. 35. „cur die laeto non laureis postes adunibramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, *solemnitate publica*

*blica exigente* inducere domui tuae habitum alicujus novi lupanaris! et paullo post: „quam recentissimis et ramosissimis laureis postes praestruerant? quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula enubilabant? — — non ut gaudia publica celebrarent, sed“ etc.

In Martialis loco supra scripto fenestra dicitur *latiâ culta nuru*. Interpretantur: feminas romanas honestiores ex aedibus per fenestras ponipam prospectasse et sic fenestras fuisse cultas s. ornatas nuru latiâ. Speciem hoc aliquam habet; sed etiamsi satis aptas fuisse fenestras concedam, e quibus pompa spectaretur, quamquam aedes veterum eodem fenestrarum ordine et numero, qui hodie placet, lucem non admittebant: quotusquisque credet, matronas et virgines in mediis lucernarum vaporibus, in media fuligine stetisse, ut viderent et viderentur?

Sine dubio spectabant quidem sed sive per fenestras non fumantes, sive ex solariis et tectis domorum, quae, sicut etiam nunc Neapoli, in maxima parte Italiae, in omni Oriente, plana erant et ubi nunc quoque familiae, inquilini, vicini quotidie fere conveniunt. Plinius in Paneg. c. 22, ubi de hoc ipso Trajani ingressu loquitur, „feminas etiam tunc, inquit, foecunditatis suae maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui principi cives, cui imperatori milites peperissent. *Videres referta tecta ac laborantia*, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum et instabile vestigium caperet; oppletas undique vias, angustum tramitem relictum tibi; alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium, paremque clamorem.“ Claud. de Conf. Stilich. lib. III, 63: Nonne vides, et plebe vias, *et tecta latere matribus?* h. e. ita impleta esse mulieribus, ut nihil eorum videri possit? — Martialis igitur verba sive aliter explicanda, sive corrupta et emendanda sunt. Si *cultas* fenestras velis interpretari curatas, ut recte luceant lucernis, per nurus *latias*,


tias, nemini facile matronas negotium suscepisse iervorum persuadebis. Si Codicum lectiones perlustramus, Gruterus in Palatino viderat: *Lociâ culta fenestra manu*, nec temere suspicatur, aliud quid latere majoris rei. An legendum est: *latia manu?* h. e. a Romanis; an forte: *larga manu*, h. e. large oleum affundente? Sed mea mihi ipsi conjectura non satis placet.

Transeo ad reliquos versus explicandos. Quando erit dies, quo Caesarem rediturum certi diu ante horam dictam concurrentes *moras* quidem ferre cogentur, sed *dulces*; nam libenter eas ferunt ob Caesarem dilectum. Et corripuntur morae, si Caesar nuntiatur adpropinquare, si e longinquo *longus* conspicitur *pulvis a Caesare* et comitibus motus; (Claud. de bello Get. v. 455: *Pulveris ambiguum nubem speculamur ab altis Turribus.*) tota Roma confluit in una via Flaminia, quae ad pontem Milvium et porro in Galliam et Germaniam ducebat. Prope accedentem praecedunt et *equites*; *οἱ βασιλικοὶ ἰππεῖς*, equites praetoriani s. principis dicti, *Mauri*, *tunica Nilotide picti* h. e. tunica ornati, acu picta, aegyptiaca et elegantissima, quia Aegyptii in vestium elaboratione excellabant. *Mauri* sunt Mazaces, (Mauritaniae populus) equis nobilibus et arte equitandi conspicui. Nero *cum armillata et phalerata Mazacum turba atque cursorum* itinera sua faciebat. Sueton. N. c. 50. Etiam homines privati luxus causa Afros equites alebant; Seneca Epist. 114: „omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedit.“ Jam Caesare ipso conspecto una populus voce clamat: *venit*. Sed Trajanus pedes urbem ingrediebatur. Operae pretium est, de ea re legere Plinii l. l. c. 22. „Ac primum, qui dies ille, quo exspectatus desideratusque urbem ingressus es! Jam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum laetumque! Nam priores inveni et importari solebant, non dico quadrijugo curru et albitibus equis,

equis, sed humeris hominum, [int. lecticis] quod arrogantius erat" etc. Plerique enim imperatores vel invehebantur equo vel curru, ita ut quatuor equi uno ordine irent; pedes intrabat Trajanus et post eum Severus; stipati esse solebant sive satellitum manu, sive exercitu; praebant lictores. Post salutationem ascendebant, senatu et primoribus viris comitantibus, Capitolium, ut Jovi sacra facerent; deinde adibant alia templa; inde cum in Palatium se recepissent, populo congiarium, donativum militibus dare solebant.

Multi supersunt urbium et provinciarum nummi in adventus imperatorum memoriam cusi cum inscriptione vel plena: *Adventus* sive *Adventui Augusti*, vel in compendium redacta: *Adv. Aug. s. Augg.* Exhibent imagines et nomina Neronis, Domitiani, Trajani, Hadriani, M. Aurelii, Commodi, Severi et filiorum, Elagabali et aliorum complurium. Singula vide in Raschii Lexico universae rei numariae veterum Tom. I. p. 85 — 97 Supplement. Tom. I. p. 174 — 195 et in Spanh. de U. et Pr. Num. T. II. p. 620 seqq. Nummi ad reditus e bellis et triumphis memoriam destinati facile agnoscuntur; imperator sinistra equum regit, dextra vel elata, quem habitum pacificatoris adpellant, vel hastam tenente; praebet modo captivus manibus revinctis, modo Victoria, milite cum signis sequente, et quae sunt ejus generis alia. In aliis ad simplicis adventus in Urbe vel provincia memoriam cusi signa conspiciuntur, quibus illa ipsa, de quibus scripsi, solennia indicantur. In Vitellii nummo cum inscriptione *Adventus Augusti* conspicitur Senator, homini clypeo et galea armato manum porrigens; agnoscis *salutationem*. In Trajani nummo imperatorem advenientem mulier (Felicitas) praegreditur, dextra *lauri ramum gestans*, sinistra cornu copiae. In alio hinc est Hadriani caput laureatum, illinc imperator et alia figura, ut plurimum  
mulieris

mulieris *sacra faciemis* et interdum cum *victima ad aram* s. ad pedes  
adstante; in alio imperator *togatus ad aram* conspicitur, *victima* humi  
jacente, vel pone stante; modo *ipse imperator sacrificat*, modo *Genius*  
*provinciae*, ramum manu tenens; modo *Roma* adstat ramum por-  
rigens.



### Ordnung der öffentlichen Prüfung.

Donnerstags den 25ten September, Vormittags um 9 Uhr:

#### C h o r a l.

1. *Die zweite Religions-Classe.*

Ferdinand Lorenz aus Kreuzburg, trägt eine Ballade vor.

2. *Die sechste lateinische Classe.*

Carl August Wilh. Treblin aus Neustadt, declamirt das Gedicht: Der Ring des Polykrates.

Carl Wilhelm Preifs aus Neustadt, — Die drei Sänger.

3. *Die zweite griechische Classe.*

Otto Carl Franz Pietsch aus Hochwald bei Brieg, — Das Weingericht.

Carl Fr. Wilhelm Zimmermann aus Kreuzburg, — Kaiser Joseph und der Reiter Stauff.

4. *Die vierte lateinische Classe.*

Ferdinand Carl Emil Oswald von Holy aus Pleß, — Das Raubschloß bei Boberröhrsdorf.

Carl Louis Adolph Streit aus Liegnitz, — An die Deutschen.

5. *Die erste mathematische Classe.*

Eduard Wohlfahrt aus Liegnitz, — Der Einsiedler.

Nachredner: Gustav Gotthard Richter aus Langenbielau, — Die Brüder, von Eberhard.

Nachmittags 2 Uhr:

#### C h o r g e s a n g.

Vorredner: Carl Friedrich Emil von Rohrscheidt aus Reichenbach, — Der Todesbund.

1. *Die vierte historische Classe.*

Julius Gubalke aus Brieg, — Die Neujahrsnacht.

Edwin von Minkwitz aus Türpitz bei Münsterberg, — eine Erzählung: Der graue Esel.

2. *Die fünfte lateinische Classe.*

Hermann Büttner 2. aus Türpitz, — Der Zwerg.

Carl Heinrich Hezold aus Löwen, — Der Hund des Aubry.

3. *Die zweite deutsche Classe.*

Theodor Wilhelm von Richthofen aus Grünhübel bei Breslau, — Blüchers Abholung nach Elysiun.

Eugen von Donat aus Danzig, — Die beiden Schatten.

4. *Die erste lateinische Classe. (Prof.)*

Robert Zimmermann 2. aus Krippitz bei Strehlen, — Bauchredners Triumph.

Wilhelm Silandy aus Brieg, — Der Schleifer.

5. *Die zweite mathematische Classe.*

Nachredner: Eduard Fleck aus Gottesberg, trägt eine Stelle aus Wielands Oberon vor.

Freitags

Freitags den 26ten September, früh um 9 Uhr:  
C h o r a l.

1. *Die vierte Religions - Classe.*  
Heinrich Hadlich aus Kalkau bei Ottmachau, — Walter, der verlorne Sohn.  
Ernst Heinrich Kirchner aus Brieg, — Der kleine Thüringer.
2. *Die dritte lateinische Classe,*  
Carl Gustav Hermann aus Brieg, — Die Schlacht, von Schiller.  
Hermann Louis Coester aus Kreuzburg, spricht das Gedicht: Der Menschen-  
fresser.
3. *Die dritte mathematische Classe.*  
Carl Gustav Raimund von Ohlen aus Schomberg bei Beuthen, — Edle  
Rache, von Prätzel.  
Moriz Ludwig von Wrochem aus Dollenzin bei Ratibor, — Die beiden  
Schweitzer, von Burmann.
4. *Die zweite lateinische Classe.*  
Friedrich August Geittner aus Brieg, — Die edle Vergeltung.  
Gustav Adolph Oesterreich aus Brieg, Friedrich Wilhelm Bürkner  
aus Liednitz bei Brieg und Carl Julius Hopfstock aus Brieg, — Der Ge-  
reiste, ein Gespräch in Versen.
5. *Die erste griechische Classe.*  
Carl Otto aus Brieg, — Der wilde Kater.  
Nachredner: Carl Emil Steinbeck aus Schweidnitz, — Die Warnung,  
von A. W. Schlegel.

Nachmittags 2 Uhr:  
Chorgefang.

- Vorredner: Ernst Carl Julius Engelmann aus Weigwitz, — Die Hand,  
von Schier.  
Carl Wilhelm Steiner aus Brieg, — Kolumbus.  
Heinrich Gustav Auft aus Tarnowitz, — Unten und oben.
1. *Die erste historische Classe.*  
Ernst Rudolph Eckersberg aus Brieg, — Das blinde Ross.  
Ferdinand Koska aus Brieg, — Das Hummelschloß.
  2. *Die erste lateinische Classe. (Dicht.)*  
Johann Rudolph Hillebrand aus Hamburg, decl. das Gedicht: Der Herbst,  
und dankt für geneigtes Gehör.  
Hierauf folgt die Dismission der Abiturienten.  
Einer derselben Constantin Raifer wird im Namen aller Abschied nehmen, der  
Primaner Eduard Jacob aber den Abgehenden Glück wünschen.

Schlussgefang des Chors.

Ich gebe mir die Ehre, die Gönner und Freunde des Gymnasiums zu den Prüfungen  
unser Zöglinge gehorsamt und ergebenst einzuladen.  
Brieg, den 24ten September 1823.

Dr. Friedrich Schmieder.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

**TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007



Freitag

1. Die vierte Reliquie  
Heinrich Heine  
Ernst Heine
2. Die dritte lateinische  
Carl Gustav  
Hermann Löffler
3. Die dritte mährische  
Carl Gustav  
Rache, von  
Moriz Ludwig  
Schweitzer
4. Die zweite lateinische  
Friedrich  
Gustav Adolph  
aus Liedern  
reiste, ein
5. Die erste griechische  
Carl Otto  
Nachredner  
von A. V.

Vorredner  
von Schiller  
Carl Wilhelm  
Heinrich

1. Die erste hessische  
Ernst Rudolph  
Ferdinand
2. Die erste lateinische  
Johann R  
und dann  
Hierauf folgt  
Einer derselben  
Primaer E

Ich gebe mir  
gen unser Zögling  
Brieg, den

um 9 Uhr:

Walter, der verlorne Sohn.  
eine Thüringer.

it, von Schiller.  
Das Gedicht: Der Menschen-  
berg bei Beuthen, — Edle  
ei Ratibor, — Die beiden  
edle Vergeltung.  
rich Wilhelm Bürkner  
ock aus Brieg, — Der Ge-  
eidnitz, — Die Warnung,  
r:  
aus Weigwitz, — Die Hand,  
n und oben.  
blinde Rofs.  
lofs.  
ecl. das Gedicht: Der Herbst,  
aller Abschied nehmen, der  
Glück wünschen.  
s.  
Gymnasiums zu den Prüfun-  
s.  
riedrich Schmieder.